

50. Alte M.

(Rheginus, Verb.) in noch
in fohrschreibe

K. VIII. 93



7

DISPVTA=

TIO NICOLAI GLOS=

seni, contra errores Papisti=

cos, in negotio Sacramen=

ti, corporis & Sanguis=

nis CHRISTI.



Magdeburgi. Anno XLVI.

Michael Lotther impressit.

DISPVTA
TIO NICOAI GLOS
sua, contra errores Faphe
tos, in negotio Bactamita
in corpore & sanguine
IHS CHRISTI

Magdeburgi Anno M. LVI.
Michael Lantner impressit.



QVOD VTRAQVE SPECIES SACRAMENTI

ad totam pertineat Ecclesiam.

I.

Summa est contumelia in institutionem & mandatum Christi, & sacrilega iniuria contra Ecclesiam Dei uiuentis, spoliare Ecclesiam calice Christi, qui testamentum Christi est in sanguine ipsius.

II.

Vti enim utraq; parte uel specie Sacramenti, cōsentaneum est ordinationi & mandato Christi & uerbis Pauli.

III.

Imo præceptum est Christi, quod uiolare nemini licet Christiano, uti utraq; sacramenti parte, iuxta illa uerba Christi & Apostolica. Accipite, comedite, Hoc est corpus meum. Et rursus de Calice. Accipite, bibite ex hoc omnes, Hic est sanguis. Et diserte additur tã de corpore q̄ de Sanguine. HOC FACITE.

IIII.

Non humana, sed solius Christi, auctoritate, tota Ecclesia utitur utraq; Sacramenti parte.

V.

Pro tota namq; Ecclesia sua Christus utramq; Sacramenti partem instituit.

VI.

Hanc ordinationem & institutionem Christi, cum ipse uocet Testamentum suum in sanguine suo, non licet homini, imo ne toti quidem Ecclesiae, ac deniq; ne Angelo quidem e cœlis, sine nouo ac certo mādato Christi mutare aut rescindere.

VII.

A 2.

Non

Non est igitur ἀδιάφορον, uel altera tantū
Sacramenti parte, uel ambabus, uti,

VIII.

Imo sacrilegium est, & impia blasphemia,
aliquid detrahere ordinationi & mandato
Christi.

IX.

Ecclesia, quæ sine aperto uerbo Dei aliquid mutat de ordinatione & institutione Christi, uel ex ea rem indifferentē facit, Papistica, Antichristica, & Satanica est, non Christiana.

X.

Non enim debet humana authoritas ualere supra scripturam, supra Christū, uel ordinationem, institutionē & mandatū Christi.

XI.

Ecclesia namq; uerbo & Christo subiecta est, non uerbum & Christus Ecclesiæ.

XII.

Figmentum igitur est & mendacium Antichristi, fuisse initio Ecclesiæ alicubi morem porrigendi unam tantū Sacramenti partem.

XIII.

Nec enim possunt huius commentī ac figmenti, ullum exemplum uetus proferre.

XIIII.

Si & ipsi laici pertinent ad Nouum Testamentum Christi, cur a sanguine uel Calice prohibentur, qui Calix nouum Testamentum est in sanguine Christi?

XV.

Et, si ἀδιάφορον est, uel alteram tantū uel utramq; sacramenti partem, porrigere uel accipere, cur igitur Laici, ut uocantur, una tantum specie coguntur uti?

XVI.

Vel, cur deniq; ex re libera necessariam faciunt an-

ciunt angeli Satanæ, et peruersores ordina-
tionis Diuinæ, qui conscientias periclitari
docent, si Calice Christi utantur Laici?

XVII.

Turpissimum est mēdaciū & ἀντικείμενον
uerbo atq; institutioni Christi, quod sub spe
cle panis, etiā Sanguis Christi detur Laicis.

XVIII.

Alioqui, quid opus fuisset præter Corpus,
etiā Calicis & Sanguinis mentionem fieri?

XIX.

Si cum pane, & corpus & sanguis Chri-
sti simul datur & accipitur, igitur Calicis et
sanguinis institutio superflua est.

XX.

Superfluum erit & mandatum, & hæc uer-
ba Christi, Accipite, bibite ex hoc oēs, HOC
FACITE.

XXI.

Si cum pane benedicto & Corpus & San-
guis Christi simul comeditur & bibitur, cur
Christus tam diserte, de usu Sacramenti lo-
quens, actum comedendi ad Corpus, actum
uero bibendi ad sanguinem suū addidit, ad-
iectis præceptis, Accipite, comedite, Accipi-
te, bibite? Et de utraq; parte diuisim. HOC
FACITE?

XXII.

Item, Quid opus fuit, primum fractionis,
ac deinde effusionis, mentionem fieri?

XXIII.

Sophistice ineptiunt, qui dicunt Christum
diuidi, et per consequens mori oportere, cum
fatemur Corpus & sanguinem Christi diui-
sim uel separatim dari et accipi in cœna Do-
minica.

XXIII.

Non enim Deitatem Christi nec humanā
animam Christi, comedimus & bibimus in

A 3

Sacra

Sacramento, sed tantum corpus & sanguinem Christi, & quidem Christi uiui.

XXV.

Breuius, sicut non licet sanguinem Christi solum administrare Ecclesiæ, ita nec Corpus solum.

XXVI.

Si licet ordinationem Christi in Sacramentis mutare, licebit & in cæteris, Nihil igitur firmum habebit scriptura, Ergo totus Christus euacuatur, Euangelij administratio nulla est.

XXVII.

Omnino respuimus concomitantiam Papisticam, in hac, de utraq; specie, disputatione.

XXVIII.

Nec effusionis periculum quidquam moramur. Vincit enim & maior est ordinatio Christi.

QVOD MISSA NON sit sacrificium Hilasticum.

XXIX.

Blasphemia Christi est, & contumelia Euangelij, docere, quod Missa uel Cœna Dominica uel deniq; ipsa Cæremonia ex opere operato sine fide, sit sacrificium reconcilians Deum, & satisfactorium pro peccatis.

XXX.

Tantundem enim hac doctrina, Papistæ suo operi tribuunt, quantum morti ac meritis Christi.

XXXI.

Cœna Dominica non est sacrificium satisfactorium pro pœna & culpa.

XXXII.

Vnicum est omnino Sacrificium placatorium morientis, uidelicet in cruce, Christi.

XXXIII.

Huius

Huius unici placatorij sacrificij commemoratio fit in cœna Dominica.

XX XIII.

Sacrificium Eucharisticum, uel sacrificium laudis & commemoratiuum, cœna Dominica recte dici potest.

XX V.

Cæremoniæ applicatio, pro animabus è purgatorio liberandis, nulla habet testimonia, nec mandatũ ullũ ex scripturis sanctis.

XX VI.

Non leue peccatum est, cœnam Dñicam à Christo institutam ad recordationem & prædicationem mortis suæ inter uiuos celebrandam, transferre ad mortuos.

XX VII.

Patres, cum appellant Missam sacrificiũ, loquuntur nõ de sacrificio Hilastico, sed Eucharistico.

XX VIII.

Ideoq; Cœna Dñica ab ipsis uocata est *Εὐχαριστία*.

XX IX.

Certum est igitur, illa figmenta de merito operis operati, nusquã extare apud patres.

XL.

Patres cum de usu Sacramenti loquuntur, de duplici loquuntur effectu. Primũ de consolatione conscientiarum, ac deinde de gratiarum actione, seu laude.

XLI.

Pertinet autem horum effectũ prior ad usum et rationem Sacramenti. Posterior uero ad sacrificium refertur Eucharisticum.

XL II.

Et de utrisq; effectibus extant orthodoxorum patrum testimonia.

XL III.

A 4

Sed

Sed aduersarij, etiã rectissime dicta a pa-
tribus, ad suum opus operatum pro alijs ap-
plicandum detorquent contra patrũ senten-
tiam. XLIII.

Patres enim aperte requirunt fidẽ, ac non
de applicatione pro alijs, sed de propria cu-
iusq; cõsolatione ex usu Sacramenti percipi-
enda loquuntur. XLV.

Corpus Dñi semel oblatum in Cruce pro
debito originali, iugiter offerri, pro peccatis
ac delictis, in altari, ut habeat in hoc Eccle-
sia munus ad placandum sibi Deum, figmẽ-
tum est Thomisticum authore Satana inuẽ-
tum. XLVI.

Pugnat enim ex diametro contra ἀναλο-
γίαν fidei de qua ad Roma. 12.

XLVII.

Impudens mendaciũ est et hoc, q̄ opus au-
diendi Missam non intellectam, cultus sit &
psit auditori sine intellectu, tantum ex ope-
re operato, & quia sic fiat & sic spectetur.

XLVIII.

Simpliciter etiam Iudaica est opinio, qua
docent Antichristi, Sacramenta non ponenti
obicem, cõferre gratiã ex opere operato sine
bono motu utẽtis. XLIX.

Aduersarij Euangelicæ doctrinæ uehemẽ-
ter aberrãt, existimantes in nouo testamen-
to externũ quoddã Sacerdotiũ esse oportere,
uel Sacrificiũ, quo pro populo sacrificent ip-
si et mercantur alijs remissionem peccatorũ.
L.

Sed nulla litera uel ex scripturis uel ex pa-
trib9 orthodoxis proferri potest, quæ in hac
re patrocinetur Scholasticis, Contrariũ enim
ait Augustinus, Quod fides Sacramenti, non
Sacramentum iustificet.

LI.

Diligen-

Diligenter Spiritus Sanctus in scripturis
cauit, ne hoc nomen Sacerdos uel Sacerdoti-
um ulli Apostolo aut officio attribueretur,
sed in scripturis tantū Baptizatorū et Chri-
stianorum est titulus ut hæreditarium nomē
ex Baptismo. 1. Pet. 2. LII

Sicut liberum est in qualibet lingua predi-
care Euangelium Christi, ita liberum est in
qualibet lingua administrare Sacramenta
Christi. LIII.

Missam igitur, id est, Cœnam Dominicam
Germanica lingua celebrare liberrimū est.
LIIII.

Hoc παράδοξον affirmamus, in Papisticis
Missis, uere accepisse Ecclesiā corpus Christi
sub specie panis, iuxta seruatum ordinatio-
nem Christi. LV.

Calicem uero quem non porrexerunt, sed
ipsi Papistæ soli hauserunt, tantū uinū fuisse
dicimus, nec aliud eos bibisse. Et sic seipso
defraudauerunt altera parte Sacramenti.
LVI.

Cum tamen dicant pro solis sacrificiis u-
tramq; speciem institutam esse.

QVOD IN PRIVATA

MISSA PAPISTICA

non adfit uerum Corpus &
uerus Sanguis Christi.

LVII.

Papistica Missa priuata nō habet præcep-
tum Christi, neq; ordinatiem, neq; institu-
tionem, nec deniq; finalem Christi habet in-
tentionē, sed mera inuentio et traditio huma-
na est, sine uerbo Dei. LVIII.

A 5

In Missa

In Missa priuata non solum abusus est & peccatum horrendissimum, sed etiam ipsa substantia institutionis Christi penitus sublata est. Et ordinatio Christi inuersa, & Antichristica ordinatio supposita est.

LIX.

Christus instituit & uult, ut Sacramentum totum administretur etiam alijs pijs, At papistæ in priuata missa nihil porrigunt alijs sed pro se priuatim retinent.

LX.

Christus instituit Sacramentum corporis et sanguinis sui ad commemorationem sui, et ut prædicetur mors ipsius, At papistæ nihil prædicant, nihil docent de morte Christi in priuatis missis.

LXI.

Christus instituit Sacramentum altaris ad certificandum conscientias de remissione peccatorum, et alendam et confortandam fidem suorum, At papistæ seducunt et auocant homines & conscientias a fide, a doctrina gratiæ, & faciunt ex Missa proprium opus operatum, et sacrificium, quod applicat pro uiuis & mortuis, et quod tanquam bonum opus uendunt pro pecunia.

LXII.

Papistici Sacrificuli non sunt ministri Ecclesiæ Christi, sed ministri Baal, et serui uentris.

LXIII.

Papistici sacrificuli non sunt personæ consecrantes, quia non ordinantur nisi ad Missas priuatas, & ad sacrificandum, ut quibus dicitur, Accipe potestatem sacrificandi pro uiuis & mortuis.

LXIII.

Papistica fides in Missa priuata Turcica est ac Diabolica. Nam credunt se in Missis priuatis offerre Christum Deo patri pro uiuis & mortuis, & docent se ex opere operato placare

placare

placare Deum uiuis & mortuis, quibus ipsi
hoc opus applicant ac uendunt.

LXV.

Nulla Sacramenta uirtute humana fiunt,
sed solo uerbo, ordinatione, ac mandato Christi.

LXVI.

Igitur uirtute & efficacia unctio-
nis & ordinationis Papisticae, & sola uerborum Christi
pronuntiatione ex opere operato facta,
effici corpus et sanguinem Christi, tam putidum
est mendacium, quam ipsa est rancida unctio.

LXVII.

Nam Sacramentum Corporis et sanguinis
Christi nemo sibi priuatim potest conficere.

LXVIII.

Nec ipsa quidem tota Ecclesia facere sibi
potest Sacramentum.

LXIX.

Ad substantiam uero Sacramenti his tri-
bus opus est, Verbo, Elemento, & praeccepto
uel ordinatione Christi, iuxta illud. Accedat
uerbum ad elementum & fit Sacramentum,
Augustinus super Ioan. Tract. 90.

LXX.

Si deest uerbum & ordinatio Christi, ac de-
nique mandatū Christi, nullum efficitur Sa-
cramentum.

LXXI.

Sacramentum non dicitur Sacramentum
Sacrificuli Militarum, sed Sacramentum Christi
& Ecclesiae, Christi ordinantis, instituentis
ac dantis, Ecclesiae accipientis et pie, ac secun-
dum ordinationem & intentionem Christi,
utentis, & gratias agentis &c.

LXXII.

De hac ordinatione, ut supra dictum est, ali-
quid detrahere uel immutare, nulli creaturae
& ne angelis quidem in caelo, fas est, iuxta il-
lud. Si ego uel Angelus e caelis &c. Anathe-
ma sit.

LXXIII.

Ex

Ex his omnibus, firmiter, uere, ac certo col-
ligim⁹, iudicamus, docem⁹, credimus, et pro
certissimo scimus & affirmamus, in Missa
Papistica priuata non adesse uerum corpus
& sanguinem Christi, sed tantum nuda &
pura elementa, panem & uinum, ac præterea
nihil. Nec aliud sibi sumit sacrificulus papi-
sticus in Missa priuata, q̄ panem, & uinum
elementaliter, Nec aliud Ecclesiæ ostenditur
circumstanti, quam panis & uinum.

LXXIII.

Non recipimus commentum Papisticum,
quo ipsi suæ priuatae Missæ intentionem &
fidem Ecclesiæ prætexunt.

LXXV.

Nec admittimus prouocationem ad Eccle-
siam. Quia non prouocant ad ueram Christi
Ecclesiam, sed prouocant ad Romanam &
Papisticam Ecclesiam, quam non agnoscunt
nec audiunt oues Christi.

LXXVI.

Nec patres nec patrum exempla patro-
cinari papistis in hoc negotio possunt.

LXXVII.

Quod enim de scripturis nō habet autho-
ritatem, eadem facilitate contemnitur qua
probat.

LXXVIII.

Nusc̄q̄ ueteres scriptores ante Gregorium
mentionem faciunt Missarum priuatarum.

LXXIX.

Superstitio, aut uana persuasio de Sacri-
ficio, uel opere operato, aut certe quæstus,
priuatam Missam pepererunt.

LXXX.

Nullum Sacrilegium maius, nec ulla iniu-
ria uel blasphemia grauior excogitari potest
contra unicum Christi in cruce morientis
sacrificium,

sacrificium, & contra mortis ipsius meritū,
quam abominatio abominationum Missæ
priuatæ, quam, mētitur Satanas & Antichri-
stus, conferre gratiam ex opere operato, uel
applicatam pro alijs, uenialium & mortaliū
peccatorum, item culpæ & pœnæ remissio-
nem, eis mereri.

LXXXI.

Si ex priuata Missa, ut ex opere operato,
est iustitia, ergo Christus frustra mortuus
est, inanis fides & irrita promissio & impa-
cata & incertæ relinquuntur conscientia.

LXXXII.

Dicendo, quod in Missa priuata non adsit
Corpus & sanguis Christi, & q̄ sacrificiū
Missarij non sint personæ consecrantes, neq̄
Ecclesiæ Dei ministri, non tollimus e regno
Papistico Sacramentum corporis & sangui-
nis Christi, nec negamus Ecclesiam ueram et
ministerium docendi fuisse in regno Anti-
christi. Quia abominatio stat in loco Sācto,
Et aduersarius ille, filius perditionis, & ho-
mo peccati, sedet in Templo Dei.

LXXXIII.

Certum est, hanc esse ueram, sanctam, &
catholicam Christi Ecclesiā, quæ habet uerā
doctrinam Christi, & utitur Sacramentis
iuxta ordinationem & mandatum Christi.

LXXXIII.

Nemo autem, nisi aduersarius ueritatis
Antichristus, negabit apud Lutheranos, ut
nunc odiose uocant, esse puram doctrinam
Euangelij & Sacramenta ab ipso Christo in-
stituta, & uerum usum Sacramentorum.

LXXXV.

Vbi autē est uerbum Christi & sana do-
ctrina, ibi sunt omnia diuina et sancta, Reg-
num

num Dei, regnum Christi, Spiritus Sanctus,
Sacramenta, Ministerium uerbi, fides, chari/
tas, patientia in afflictionibus, & Crux, ui/
ta, salus & omnia quæ ad Ecclesiam perti/
nent.

LXXXVI.

Christus enim dicit, Ad eum ueniamus &
mansionem apud eum faciemus. Et, ecce sum
uobiscum usq; ad consummationem seculi.

LXXXVII.

Vere igitur habent Lutherani in cœna
Dominica, quod Christus ibi adesse adstru/
it, uidelicet, sub pane, uerum corpus Christi,
& sub uino uerum sanguinem Christi.

LXXXVIII.

Etiam si Lutherani nō eosdem seruent Pa/
pisticos ritus, tamen uere sunt de ouili Chri/
sti.

LXXXIX.

Non enim consistit Ecclesiæ unitas in ijs/
dem ritibus, sed in unitate uerbi, Sacramen/
torum, Spiritus, & fidei posita est.

XC.

Nec uenit Regnū Dei cum obseruatione.
Ergo nihil impediunt ordinatiōem Christi,
quo minus uera sint Sacramenta, etiam si nō
seruentur humanæ traditiones iuxta intro/
ductæ sine uerbo Dei.

XCI.

Sicut uerbum Dei non est alligatum locis,
personis, & huiusmodi, ita nec Sacramenta.

XCII.

Vnctione igitur Papistica nihil opus est
ad Ministerium uerbi ac Sacramentorum.

XCIII.

Habet enim Ecclesia Christi potestatem
ordinandi Ministros ad docendum Euange/
lium, & ad administranda Sacramenta, eti/
am sine rancido oleo Papistarum, ac sine ra/
sura,

XCIII.

Sicut

Sicut Ecclesia habet Euangelium, Baptis-
mum, Spiritum, Fidem, sine unctione & ra-
sura Papistica,

XC V.

Non sunt hic humanæ uirtutis opera pro-
posita, qui tunc ipsa fecit in illa cœna, idem
ea nunc quoq; facit. Nos ministrorum tene-
mus locum, qui uero sanctificat ea, & imu-
tat, IPSE est. Hęc est illa mēsa et minus nihil
habet, non enim illam quidem Christus, hęc
autem homo perficit, uerum & hanc ipse
quoq; Hęc ille,

XC VI.

Hęc diui Chrysofomi Euangelica senten-
tia, testis est, nihil locum, nihil personam, ni-
hil altaria, nihil deniq; unctionem ac rasu-
ram Papisticam facere ad substantiam Sa-
cramenti.

XC VII.

Hęc adeo uera sunt, ut qui ista neget, is
eadem ratione Deum, scripturam & omnia
negare possit.

XC VIII.

Hos articulos, Quod utraq; pars Sacra-
menti pertineat ad totam Ecclesiam, Quod
Missa non sit sacrificium Hilasticum ac sa-
tisfactorium. Deinde, Quod in Missa priua-
ta Papistica non sit uerum corpus & uerus
sanguis Christi. Et postremo, Quod unctio
& rasura Papistica nō sint necessaria ad mi-
nisterium uerbi & Sacramentorum in Ec-
clesia (sicut cæteros omnes) adiuuante Spi-
ritus sancti gratia, ex sacris literis defende-
mus.

FINIS.

K. V. 11. 13

154656


AB 154 656

ULB Halle 3
002 802 910




57





15





B.I.G.



Farbkarte #13

7

DISPVTA=
TIO NICOLAI GLOS=
seni, contra errores Papisti=
cos, in negotio Sacramen=
ti, corporis & Sanguis=
nis CHRISTI.



Magdeburgi. Anno XLVI.
Michael Lotther impressit.

